

rimus (oblitis pariter commissuris) tandemque antè orificium A orbiculo coriaceo ambientis capsulae indito texerimus, & globum vel argillaceum vel etiam ferreum orificium posticum B exactè replens, amoto quo obturatur pistillo B, imposuerimus; dubium esse nullum potest, quin hinc etiam, sicut in sclopeto vitreo minore factum est, revolutò subitò recipientis epistomio, aer ex tormenti cavitate interna per fissuram D F (Num. 1.) in canalem sive sulcum *d e* (Num. 4.) indeque per foramen *e* in recipientem exhaustum subitò se recepturus, externus autem pone per B (cum per antè orificium A propter operculum coriaceum non possit) irrupturus, globumque quantumvis ponderosum validè per anteriora explosurus sit. Quantò major enim & ponderosior hic est globus ejiciendus, tantò major etiam est basis ac spissitudo cylindri aërei in globum impingentis, tantoque majus etiam robur & moli projiciendae perpetuò proportionatum; ita ut hac arte maximos etiam tormentorum globos plurium licèt centenariorum pondere stupendos, aëris solius virtute ac elaterio explodi posse nulli dubitemus; quale quid in altero pneumaticorum sclopetorum genere, quod ope compressi aëris explodit, sperare vix licet.

XI. Id unum igitur agendum nobis imposterum restat, ut, quod hactenus tentare nondum licuit (vix excluso quippe hoc partu & in cunis adhuc jacente,) cavitatem tubi internam, quoad ejus fieri poterit, lubricando & poliendo, ejus longitudinem nunc abbreviando nunc extendendo, pariterque fissuræ D F modò longitudinem modò latitudinem variando, tandemque anterioris capsulae, quod orbiculum coriaceum (fortassis & ipsum alio levioere permutabilem) recipit, amplitudinem variè mutando, &c. explosionem hanc globorum indubiam reddamus adhuc vehementiorem & efficaciorè. Quod equidem ubi ex voto, ceu speramus successerit, in mente jam est & oculis ipsis quasi obver-